DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS

SPERMATORRHOEAM

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE ATQUE LEGITIME OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA C. R. ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA
JOSEPHINA
PUBLICE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Franc. Joannes Bien,
BOHEMUS NEOVICENSIS, MEDICUS CASTRENSIS.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis anni 1839.

VIENNAE,
TYPIS JOAN. NEP. FRIDRICH.

HONORABILI AC AESTUMATO

DOMINO

JOS. FRANC. DAUBEK,

MERCATORI ATQUE CIVI POLIČKENSI.

VIRO

BENIGNITATE, BENEVOLENTIA, HUMANITATE AC PROBITATE

AEQUE INSIGNI

AMICO SUO

FRATERNO PRAESTANTISSIMO

IN

AMICITAE PERPETUAE MONUMENTUM

HASCE

PAGELLAS VOVET AC DEDICAT

devinctissimus
Auctor.

Definitio et etymologia.

Spermatorrhoea, pollutio, seminis nimia copia secreti nec non plerumque insimul prostatae succi secretionem involuntariam significat.

Voce graeca pollutio gonorrhoea appellanda foret, etenim ἡ γονη sive ὁγονος genitura, genus (semen) et ρεω seu ρευω fluo audit. Medici autem antiquioris aevi mucum sub blenorrhoea urethrae exstillantem puriformem pro spermate habentes, malum hoc genorrhoeam nuncupavere, quo nomine et aevi nostri medici ad medorrhoeam designandam, sive veneream, sive asyphiliticam utuntur. Quam ob rem nisi confusionem oriri velimus, ubi de involuntario seminis fluxu sermo, ibi nomine gonorrhoeae vix utendum.

Omni jure ergo profluvium hocce spermatorrhoea (σπερμα semen, ρεω fluo) vocari potest, etiamsi nonnulli medicorum magis scrupulosi hac voce nonnisi continuum humoris spermatici fluxum ex urethrae orificio intelligant, per intervalla autem minora majorave recurrentem pollutionem adpellent.

Rarius vocabulum graecum synonymum gonobolia, gonobolismus morbosus, — ejaculatio seminis involuntaria — in usu sunt.

D i v i s i o.

Evacuatio antea commemorata initio nonnisi frequens, aut et repetitis eadem nocte vicibus, sponte sub insomniis lubricis penisque erectionibus per ejaculationes singulas contingit, p o l l u t i o n o c t u r n a dicta, quae aegro dormiente atque utplurimum in dorso jacente accidit, qui nunc expergefactus, quin spermatis e pene erecto fluxum amplius retinere fas esset, brevi iterum obdormiens temporis spatio; nunc

non evigilat, attamen indusii vel lecti linteaminum et tegumetorum, minores majoresve plagae rigidae, ac si amylo in aqua cocto immersae fuissent, aqua pura non delendae, illum de jactura seminis sub somno facta edocent. Sequenti plerumque die semet quidpiam delassatum, morosum, in officiis suis exequendis solito segniorem sentit, nec non cibos adpetit avidius, id quod et post nobilium jacturam humorum aliorum observandum. Nonnulli et sub somno post prandium capto polluuntur.

De die quoque levioribus irritamentis voluptuosis, lectitatione librorum phantasiam alentium eamque in libidinem dirigentium, aspectu feminae, statuae, picturae etc. inhonestarum, sensibus indecenter blandientium profluvium spermatis elicitur, p o l l u t i o d i u r n a vocata, quae aegro invigilante absque sensu voluptatis, pene nunc flaccido, nunc nonnisi semierecto, nunc verum sperma nunc prostatae humorem in lucem edente accidit; p o l l u t i o haec s p u r i a, illa v e r a cognominanda; tandem vix non continuo guttatim, sine dolore, haud cum titilationis sensu in fossa navicularis regione, a mechanica solummodo per incessum, equitationem, alvi seu urinae excretionem, coenam etc irritatione, rarius cum membri virilis erectione et tunc leviori graviorive cum sensu dolorifico evacuatio procedit — sqermatorrhoea c o m p l e t a adpellanda.

Diurnis pollutionibus quodammodo adnumerari meretur illa humoris spermatici ejaculatio, quae prius accidit, quam vir coitum exercere cupiens, vaginae feminae membrum virile immiserit.

Spermatorrhaea diurua nocturnis rarius occurrit, nunquam autem veluti quidam medicorum contendunt continuo stillicidio effluit, nisi fistulam vesiculae seminalis excipiamus.

Quibusdam sub conditionibus sine dubio praeprimis nocturnae pollutiones ad relativam sanitatem conducunt, quin ad morbosas affectiones, si limites rectas non transeunt accedant, s p e r m a t o r r h o e a i n n o c u a seu

insons sic dicta, quae apud viros robustos juniores, undevicesimum intra et trigesimum annum, vitam viventes lautam, coitum vix vel plane non exercentes, temperamento fervido praeditos, bene nutritos, sanquinolentos, et quidem morbosis, relative raruis, attamen saepesaepius occurrit, malos illos, qui morbosum spermatis dispendium sequuntur, effectus minime inducens, justo regimine diaetetico quam facile prohibendae.

Dantur etiam pollutiones intra sanitatis limitis, quae hanc non solum non infestant sed potius eidem prospiciunt, crisium salutarium vices gerentes, quae nequaquam dibilitati organorum sexualium, utplurimum sub erethismo adparenti et causam spermatorrhoeae involuntariae efficienti, debetur, sed potius abundantiae spermatis, plethorae sic dictae seminali, innititur; his sub circumstantiis si semen virile quodammodo non evacuatur, malos succedere observamus effectus; praeprimis inamoenam praessionis atque ponderis sensationem, partem pelvis inferiorem, ubinam vesiculae seminales resident, occupantem, testiculorum nec non funiculorum spermaticorum tensionem doloremque, persaepe valde intumescentium, animi depressionem, tristitiam nonnunquam in veram melancholiam ruentem. Ejaculatione seminis, sive coitu sive involuntarie elicita symptomata enarata sensim sensimque disparent, sperma effluens solito crassius, magis concentratum, atque odorem penetrantem spargens evadit.

Diagnosis

Statum huncce morbosum in genere profluvio seminis involuntario ex urethrae orificio procedente cognoscimus, attamen pudore vel saepissime obcelatur, quo in casu medicum observantem phoenomena jactura spermatis provocata ducant est necesse, vel cum blenorrhoea vesicali aut urethrae commutatur, praeprimis si semen virile, sicuti non infrequenter, sub urinarum mictu aut alvi sepositione excernitur. Ast sperma verum superficiei urinarum semper sub forma flocculorum albidorum innatat, serius muci gelatinosi adinstar

in illis dissolvitur, postremoque sedimentum album formans praecipitatur, chartam exploratoriam caeruleam colore viridi notat, exsiccatum materiam fragilem, pellucidam relinquit, aëri expositum atmosphaerico humido sicco siccum non redditur, imo fermentationis processum acetosum subit, colorem induit luteum, mucidat et putrescit, recens in aqua non solubile, aëri per aliquot temporis momenta expositum, connubium cum illa init, quae odorem volatilem, penetrantem haudve amoenum spargit.

Symptomata pathologicum seminis profluvium concommitantia atque mala posthuma ex hocce morbo proscaturientia — citius tardiusve — secundum aetatem, constitutionem aegri, secundum gradum, causas, morbi durationem, quantitatem et repetitionem aut rariorem aut frequentiorem multum variant, et sive ex aliqua labe corpus omne ejusque vires pessumdante, sive solummodo ad organa genitalia restricta originem suam repetunt, saluti eorum qui illis obnoxii sunt, diversas nunc majores, nunc minores struunt insidias, in omni vita tam plastica, quam animali nec non psychica conspicuas, in genere ab auctoribus referuntur: emaciatio corporis universi, genarum pallor aut squalor, cutis carniumve laxitas, oculorum sulcis profundis caeruleis circumdatis splendor, facieique interea defiguratae, moestae, fatuae, senilis evadentis turgor imminutus, virium muscularium debilitas, languor, motuum non solum intensiorum atque diutius perseverantium, sed etiam leviorum recusatio, imo minimis occupationibus somaticis defatigatio; sensuum hebetudo, imprimis sensus visus, obnubilatio oculorum, photopsia; somnus non reficiens, receptivitas erga influxus externos justo major, digestionis et assimilationis anomaliae: bradypepsia, apepsia, flatulentia, acidum, pertinax alvi obstipatio; facultatum mentalium torpor, amnesia, mentis imbecillitas, fatuitas, animus dejectus, morosus, tristis, timidus; variae adfectiones hypochondriacae, algiae organorum abdominis, spasmi, convulsiones, imo ipsa epilepsia; sudores profusi, debilitantes,

praematurum capillorum defluvium (decalvatio) impotentia virilis, tabes dorsalis ac febris depascens vitae miserrimae sub indefessis conscientiae cruciatibus finem imponunt, avide exoptatum.

Praedictis phoenomenibus morbosis sensim sensimque increscentibus consuetim etiam humoris spermatici fluxus, qualitate sua mutata augetnr. Quo majores malum hocce progressus fecit, eo magis semen exstillans tenuius, pallidius, aut ad caeruleum colorem vergens, nonnunquam acrius, causticae indolis, imo sanguine tinctum evadit, cum organicis partium sexualium destructionibus frequenter incedens.

Non solum viri spermatorrhoea molestantur, sed et feminae eidem, testantibus F r a n k aliisqne auctoribus, obnoxiae creduntur. Sub coitu nimirum, ast non minus sub alia organorum genitalium sexus sequioris irritatione lasciva, v. g. sub phantasiae ludibriis lascivis in utero atque vaginae canali humoris mucosi copia secernitur justo major, quae secretio nonnisi involuntarie stillando cum sensu voluptatis conjuncta eo magis cum pollutione virorum comparari potest, quum veluti in viris ex abusu veneris, sive licitae, sive illicitae oriatur, et si justo frequentius acciderit, aut diutius perduraverit eosdem ac illa effectus debilitantes producendo par sit. Rariora sunt autem haec pollutionum exempla, cujus causa in eo quaerenda, quod medico easdem observandi aeque ac humorum horum naturam examinandi occasio non offertur; ceterum asserente R i c h t e r, ista humoris secretio non pro analogo seminis fluxu virilis habenda, quia feminis vix spermatis secretio proprie sic dicta adscribenda venit.

A e t i o l o g i a.

Spermatorrhoea, quam insontem dicimus, in abundante seminis progeneratione, qualis in individuis robustis, fervido instructis temperamento, sanguinolentis, vegetis, castam viventibus vitam obtinet, fundatur, quaque fit, ut

sperma quantitate justo majore in vesiculis seminalibus accumulatum ipsas tanto adgrediatur, stimulo, quo facultas earum hocce essentialium corporis organici partium extractum — ut nonnulli agunt — retinendi superetur, concitataque, motrici horum organorum facultate ad ejiciendum idonea nec non necessaria, sperma ipsum, humore glandulae prostaticae immixtum, data occasione propellatur.

Momentis ad spermatorrhoeam morbosam disponentibus, aetas, temperamentum, corporis constitutio, morbi praesentes et anteacti, praeprimis veneris abusus atque masturbationis scelus adnumerantur, contemplationi nostrae propius subjiciendis:

1. Aetas. Potissimum pollutionibus obnoxii inveniuntur juvenes aetati virili approximantes, in quibus nimirum organa sexualia, nisu plastico in illis exsuperbante, ad propagationis opus excoluntur aptaque redduntur, quorum vita antea gliscens nunc manifestatur nec non vigorem majorem nanciscitur. Rarius viri pollutionibus molestantur, si viduos coitui adsuetos excipimus; rarissime seniculi. Ubi autem facultas propagandi jam exstincta, — uti in senibus, in annis revolutionis, clymactericis, — vel ex opposito nondum evoluta est, — uti in infantibus, pueris — spermatorrhoea obvenire non posse per se liquet.

2. Temperamentum irritabile, receptivitate exaltata, debiliore reactione excellens, majori agilitate, minori autem robore atque constantia notata, nec non habitus corporis tener, mollis, neque laboribus, neque influxibus externis adsuetus, horum potius solerti fuga, morbis diuturnis aut frequentibus, vel meditationibus intensioribus, studiisque, animi pathematibus deprimentibus, vita sedentaria pronato trunco diu continua et s. p. debilitatus, ad spermatorrhoeam quammaxime proclivitatem augent.

3. Morbi spermatorrhoeae ortui faventes locales creduntur illi, qui vel debilitatem organorum sexualium producunt, vel stimulo illorum haecce irritant: blenorrhoea

nimirum urethrae et haemorrhoides tumidae; irritatio, ipsas has adfectiones concommitans, ad vesiculas seminales facili negotio propagatur, queis stimuli impatientiam impertit et sic involuntario seminis profluvio ansam praebet; obstructiones viscerum abdominalium, stagnationes systematis venae portarum; vesicae urinalis, intestini recti, glandulae prostatae, partium adjacentium affectiones pathologicae, tumores inflammati vel non inflammati, abscessus, ulcera, fistulae ani, ischuria, — ubi evacuatio seminis normalis retardata, stagnansve in vesicam urinalem retrocedit, serius iterum cum mictu effluens — saepe saepius diathesis ad sabuli productionem, imo post lypothimiam, pollutiones posthumas fovet; in hydrophobia laborantibus, insultibus convulsivis detentis, tetano adfectis sub penis erectione dolorifica non raro spermatorrhoea observatur; sic et valetudinarii a morbo graviori convalescentes, robur pristinum nondum adepti, ex debilitate universali laborantes spermatorrhoeae obnoxii inveniuntur.

4. Uberrimam vero atque communissimam saepe perniciosarum, nec facile pharmacis adaptatis cedentium pollutionum fontem certe abusus veneris, nimis frequenti aut in amplexu, aut onaniae scelere consistens exhibet. Utroque in casu jactura spermatis valida, tum organorum sexualium in specie, tum corporis universi, exagitatione exhauriente praecessa, debilitas summa relinquitur: semet per sensilitatem exaltatam, morbosam nervorum agilitatem nec non stimuli et minimi impatientiam, virium insimul muscularium robur infractum, paucis per erethismum declarantem. Verum vero ad resarciendum sperma sive per abusum veneris, sive masturbationis vitium deperditum adaequata laticis sanguinolenti copia, e quo paratur, reliquis corporis organici partibus detrahitur, harumque restauratio et nutritio confunditur. Universae compagis organicae pessumdatae imbecilitas exinde enata in organa genitalia refunditur, et spermatis, quod testiculi, majori quantitate, qualitate insimul alterata, quo intensior atque frequentior

afflictio viget, secernere, vesiculaeque laxae suscipere adsuevere, involuntariae ejaculationi ansam praebet.

Speciales autem onaniae causae revera frequentissime in educatione perversa reperiuntur: malum consortium, mentis occupatio objectis libidinosis, sensuum stimulus atque phantasiae imagines indecenter blandientes, conversatio cum feminis inhonestis, ipsum theatrum juvenis virtuti magis periculosum quam proficuum censetur.

Infantes ac juvenes huic praeprimis sceleri obnoxii, evolutionem corporis sui retardatam praeseferunt, diathesi scrophulosa, rachitica, vel proclivitate in efflorescentias chronicas, turbis in digestionis opere utplurimum insignem, non mirandum quod, tali sub conditionum ratione e stimulis et levissime irritantibns, instinctus sexualis praemature provocatur. Accusantur apud tenellos: stragula stricta, angusta, titilatio penis a nutrice ut infantem clamantem quietum reddat, neglecta mundities organorum genitalium; abusus diureticorum, nec non pharmacorum aphrodysiacorum, quae congestionibus abdomininalibus favent, entozoa, imprimis ascarides, per consensum irritantia, labes haereditaria et s. p.

Causae pollutionum morbosarum occasionales in adultis, sicuti tenellis, nunc in nutritionis conditione, nunc in pharmacorum perverso selectu, nunc in stimulo, a faecibus intestinum rectum onerantibus, aut urinarum secessu impedito, nunc dormiendi modo, nunc in irritationibus per vectionem in curro seu per equitationem mechanicis, nunc tandem in stimulis psychicis quaerendae.

Nutrimenta quod attinet, experientia teste edocti sumus, coenam ante cubitum immediate aut brevi ante assumtam spermatorrhoeae de nocte proliciendae eo magis, quo lautior fuerit, favere. Cibi digestu difficiles: limaces, caseus, copiosas faeces generantes, legumina, tubera solani tuberosi, aut illi, qui aromate copioso aut multo sale conditi sunt, aut acrimoniam qualemcunque recondunt, utpote: radices apii graveolentis, petroselini, alii, cepae, raphani

sativi, asparagus etc. ad spermatorrhoeae originem suam conferunt symbolam; nec non ova, tum sorbilia, quum quae dura nuncupantur, pollutiones facili negotio propullulare dicuntur.

Inter potulenta vinum, praecipue multo alcohole donatum, cerevisia non rite fermentata, nec minus liquores destillati saccharo imbuti atque Punsch, data dispositione et potus arabicus concentratus spermatorrhoeam producunt, quatenus systematis sanguiferi vitam extollunt, commovent, thermogenesim augent atque organa versus genitalia justo sensiliora urgent, nec non phantasiam exaltant.

Pharmacis spermatorrhoeae provocandae aptis adnumerantur illa, quae actionem explicant stimulantem uropoëticis in organis nec non in sexualibus ipsis his junctis; huc praeter balsama nativa, quaedam remediorum diureticorum atque aphrodysiacorum, cantharides sive interne, sive externe adplicatae, referendae sunt *). Purgantium, praecipue drasticorum abusus pollutionum quoque culpam gerit, sanguinis ad organa abdominalia impetum atque exorbitantiam invitantium.

Faeces in intestino recto accumulatae ibidem diutius morantes, induratae et acrimoniam acquirentes, aeque ac urinae in vesica retentio pollutionem gignendi pares creduntur, idque sequenti ex causa: quia nimirum vesiculas seminales, modo mechanico et dynamico irritant. Fortior et nixus ad alvum seponendam vel urinam mittendam diurnis pollutionibus occasionem praebet.

Equitatio atque in curribus vectio in debilioribus omnino prophasin spermatorrhoeae sistere possunt, commotiones propter et exinde irritationes mechanicas.

---

*) Virum quemdam robustum, fortem, patrem plurium prolium quotiescunque ipsi emplastrum vesicatorium adplicatum fuerit, imo odore cantharidum involuntariam spermatis ejaculationem perpessum fuisse, enarrat Wichmann.

Plus autem ad spermatorrhoeam eliciendam lectus mollis e plumis confectus, nimiopere calefaciens, longior quam somno dicata mora in eodem, situsque supinus multum contribuunt.

Stimuli psychici omnium frequentissime spermatorrhoeam provocare videntur. Phantasia nimirum libidinosis lascivisque de die imaginibus occupata, iisdem, aut lectione, aut conversatione feminarum inhonestarum detenta, de nocte, ubi liberum tenet imperium, illas imagines reproducit coloribus vivacioribus exornatas voluptuosum provocans somnium. Stimulus a sensorio communi ad organa genitalia per nervos nimiopere agiles divulgatus, reactionem explicat in ipsis his partibus ut in motum erumpant involuntarium et sperma sub voluptatis sensu, quem ectasin vocamus, evacuant. In debilioribus interdiu quoque phantasiae eximia exagitatio non tantum salacitatem in venerem, imo spermatorrhoeam provocare potest. Lectio librorum romanticorum, de mutuo amore agentium, aspectus picturae, statuae, aliorumve objectorum libidinem suscitantium, colloquia lasciva, feminarum impudicarum consortium, ipsumque theatrum, ut monuimus, totidem causas spermatorrhoeae sistunt. Verumvero et animi adfectus, quemadmodum observationes docent, dum sat vehementes sint, spermatorrhoeae producendae occasionem largiuntur. Sic legi, studiosum quemdam improviso terrore perculsum, extemplo pollutionem perpessum, quae hoc ex tempore saepesaepius, quin similis causa contigisset, reiterabatur; cuilibet enim physiologiae gnaro notum, quanta animi in se — et excretiones exagitati sit potestas.

Ex his, quae de spermatorrhoeae causis supra relata fuere, maxima pro parte jam liquet quaenam illius sit origo. Quaedam nimirum horum momentorum aberrantem a norma in organis sexualibus sensilitatem et stimuli, etiam minoris impatientiam provocant, insimul telae muscularis sphincteris vesicularum seminalium robur atque retinendi facultatem infringunt; quaedam vel idiopathica vel sympathica ratione haec

organa ipsa stimulo justo fortiori adficiunt et motus solicitant organicos, quibus sperma humore glandulae prostatae commixtum, vel solus humor hicce ejicitur. Quo major illa sensilitas et stimuli impatientia, et quo magis tonus sphincterum infringitur, eo minori irritatione opus erit ut spermatorrhoea progignatur nec non frequentius repetatur. — Ast nonnulli polluuntur, quin sufficientem noscerent causam, ubi nimirum spermatis ipsius, etiamsi quantitas normam non excedat, stimulus attamen habitualis spermatorrhoeam provocandam par censetur.

Prognosis.

Etiamsi spermatorrhoea interdum nullis non conaminibus medicis atque pharmacis ab his in auxilium vocatis pertinaciter resistat: praeceps periculum nunquam minatur. Existunt exempla ubi homines debiles, teneri, musculis laxis praediti hocce malo frequenter diutiusque vexantur, quin sanitatis suae jacturam patientur; incredibile per quot temporis spatium hi scelerosam consuetudinem absque malis sequelis exercent a juvenili ad senilem usque aetatem. Nihilominus attamen et viri temperamenti fervidi, sanguinolenti, robusti revera athletici, quamquam rarius pollutionibus afficiantur, cum malis luctam subeunt posthumis. Illae quidem pollutiones, quas insontes dicimus, nequaquam timendae, quia nonnisi a stimulo seminis liberant accumulati; neque morbosae nocturnae dummodo non sunt justo copiosiores atque frequentes periculum incutiunt. Ceteris pejores habentur diurnae abusu veneris aut masturbationis pecato progenitae, etenim cum debilitate organorum sexualium provectiore incedentes, medici conatus, eo magis, quo minus lasciva aegri consuetudo in onaniam directa sufferenda est, non raro irritos reddunt. Ad gradum certum elevatae, imprimis cum febris depascentis phoenomenibus, nec non tabis dorsalis prodromis decurrentes vix completam sanationem admittunt; faventibns sub circumstantiis pro maxima parte

vitam miseri procrastinare saltem medicus valebit, facultate generandi in aeternum prostrata.

Quae morbis, sive localibus, sive universalibus innituntur, pro faciliori aut difficiliori, quam hi admittunt sanandi methodo, nunc laetius nunc tristius proferri sinunt praesagium.

In genere de spermatorrhoeae fausto aut infausto exitu vaticinans medicus, hujus frequentiam, causas, morbi durationem, aegri constititutionem, aetatem atque voluntatem respiciat necesse est.

Therapia

spermatorrhoeae sequentibus innititur indicationibus:

1. Omnes causae, quae vel ad spermatorrhoeam disponunt vel singulis seminis ejaculationibus ansam praebent ut evitentur aut saltem moderentur.

2. Ut organorum sexualium sensilitas excedens obtundatur, eorumque tonus atque robur restituatur nec non confirmetur.

3. Ut malis spermatorrhoeae posthumis, in quantum fieri potest, occurratur.

Quod primam indicationem concernit, arceantur praeceteris et fugiantur, quaecunque in corpus aut animam agendo genitalia irritare, et humorum ad eadem congestiones vel spermatis plane evacuationes producere valent. Cura directa, in praecavendis et medendis pollutionibus maximi habetur momenti, ita quidem, ut haud raro suffuciat ad spermator rhoeam prohibendam aut saltem refraenandam. In hunc finem ad omnes aegri rationes animadvertens medicus, momenta nulla non nosogenetica, quibus singulis in casibus pollutiones provocantur eruere assidue studeat, queis cognitis patienti suo regimen idoneum diaeteticum atque modum, quo ipsae causae evitandae sint, praescribere poterit.

Omnium primum itaque ubi abusus veneris in causa est, aeger monendus nec non serie exhortandus ut turpe illud

perniciosumque masturbationis crimen sedulo cane et angue magis fugiat, a coitu non tantum, sed et a consortio sive inhonestarum, sive libidinosarum feminarum abstineat, aut saltem ejusmodi usum subjiciat rationi, id quod in individuis, quorum potentia sexualis nondum infracta viget occurrit, quibus nonnisi matrimonii status suadendus, quo ad normalem, vires non exhaurientem sexualis nisus exsecutionem ducuntur. Verum autem, nec justo juniorem, nec fervidam, nec multum postulantem virginem, nec vetusculam matronam seligeret, quisque perspicitur *).

Omniaque porro evitet, quae physico aut psychico modo stimulum salacitatis in venerem excitare valent. Phantasia ab ideis lascivis, ejusmodi aegris habitualibus retrahenda et alia in objecta seriosa dirigenda. Indefessa invigilantia, occupatio continua, motus, labor corporis adcommodatus, ad defatigationem usque exercitus, animi distractio huicce scopo quam maxime correspondent. Aeger nunquam ante cubitum immediate, ast aliquot horas antea coenam sumat; haec ipsa sit frugilis, blanda, digestu facilis; juscula aquosa, vel tenuia carnosa, lac aqua dilutum, olera, fructus horaei, nonnunquam et cibi farinosi atque caro vitulina attamen nec sale nec aromate scatentes. Loco potulentorum stimulantium, calefacientium, spirituosorum bibatur aqua mera. — Corpus emaciatum nos ad valde nutrientes cibos, queis robur atque vires aegrorum suffulcire cuperemus depressae, non seducat, quatenus principium nutriens dispositionem, organa sexualia petere, praeseferens, secretioni seminis maximopere favet, talique modo spermatorrhoeae augendae opitulatur; ex opposito non praetervidendum, quod digestionis officina quammaxime prostrata illos subigere non par sit.

Quando vero stimuli impatientia organorum genitalium decrementum ac digerendi facultas incrementum ceperit, tandem tempus appropinquat ubi ad magis nutrientia, deperditas

---

*) Aegrum quemdam solummodo matrimonii officio revera esse sanatum Hufeland testatur,

vires restaurantia transitum facere valemus. Hypostrophium sit magis duriusculum quam molle, thermogenesim non multum capax, ex setis equinis constructum, operculum leve; aeger nonnisi tam diu in lecto commoretur, quamdiu somno gaudet, et adsuescat in uno alterove latere jacendo; ante cubitum urinam mittat, curetque ut hunc in finem, quam primum nixus monet, de nocte quoque expergefiat; alvum semper teneat apertam; alvi obstipae egelidis non irritantibus occurrendum clysmatibus, secus expansum intestinum rectum praemendo vesiculas seminales irritat et spermatorrhoeae favet. Debilioribus atque diurnis pollutionibus laborantibus equitatio et vectio interdicatur; pharmaca irritantia, stimulo specifico in organa uropoëtica et sexualia agentia amoveantur aut eorum usus, si necessarius esset saltem moderetur. — Morbis sive organicis sive dynamicis spermatorrhoeae faventibus eamque sustinentibus medela naturae atque formae eorum conveniens quantocius opponatur.

Ad pollutiones nocturnas sub erectione membri virilis contingentes prohibendas, suspensoria e linteo confecta, non calefacientia, infibulatio (consistens in annulo metallico penem cingente — jam Romanis nota) et s. p. commendata huicce medelae scopo non conducunt, quatenus facile, modo mechanico penem irritantia atque laedentia inflammationi aliisque malis ansam praebent nec non ipsis pollutionibus opitulantur.

In casibus pertinacibus ac rebellis medici, ubi omnia conamina illorum frustranea atque irrita reddita fuere ad exstirpationem testiculorum (castrationem) confugium sumsere ultimum *).

Quomodo onaniae crimini occurrendum ad forum potius spectat paedagogicum.

Altera indicatio naturam morbi respicit, erethismum nimirum organorum genitalium, seu nimiam eorum

*) Quodam in casu castratio radicalem praestitit sanationem! Mursina T. I. p. 1.

sensilitatem atque tonum imminutum aut atoniam. Illam obtundere, sedare, hanc ad normalem evehere gradum, medici est, curam spermatorrhoeae molientis. Suadebant quidem nonnulli ad sedandam sensilitatem excedentem organorum genitalium modum, usum narcoticorum: opii, hyosciami, belladonnae, etc.; attamen minus quadrant haec remedia, quia incitatio, quae eorumdem virtuti pacanti praecessit, phantasiam extollendo stimulum atque libidinem in venerem potius suscitat, id quod praeprimis de opii virtute valet medica. Hunc in scopum camphoram majoris esse emolumenti experientia docet, nam constat: camphoram per nares, domare odore mares; qua navigatores etiam in itineribus suis per mare, longius temporis spatium durantibus, abstinentiae gratia utuntur, facultate propagandi non raro hac ex causa destituti. Camphoram interne aut sub forma pulveris propinant aut sub forma pilularum veluti. Rp. Camphorae rasae, Amyli, Sacchari albi $\overline{aa}$ grana decem. M. f. c. s. q. Syrupi Althaeae pill. Nro. 10, quarum duae bis de die sumuntur, aut emulso spurio addunt. Individuis insimul plethoricis, pulsu pleno, durove praeditis, ad congestiones seu inflammationes pronis cum Nitro et cremore tartari copuletur. Externe in spiritu vini soluta, sub forma lotionis regioni pubis, inguinali atque perinaei adplicari potest, nec non infra scrotum ad perinaeum Camphoram in frustulis adligare nonnulli rati sunt.

Externe praeterea commendantur lotiones genitalium et vicinarum partium, aceto cum frigido aqua temperato aut aqua frigida pura, vel balnea universalia, vel pediluvia frigida; adplicatio oxycrati, glaciei. Frigus in genere, quod his adminiculis organico cum corpore venit in contactum, prosperum exerit effectum, compescendo erethismum et solicitando in contractionem nisum. Localis vero illius adplicatio subitanaea, modumque excedens magis irritando quam deprimendo agit, ipsasve erectiones penis efficit; hinc successive a majori ad minoris temperaturae gradum, atque adplicationis extensionem transeundum.

Irritatio vel idiopathica vel sympathica, si sublata causa persistiterit methodo medendi et regimine concordante antiphlogisticis compescatur, quae et pollutionibus sic dictis insontibus, imo et venaesetio opponantur.

Tono organorum genitalium restituendo optime respondent acida mineralia, quae insimul temperant et refrigerant, illis amica, qui orgasmo sanguinis et exinde congestionibus in diversas partes laborant, nec non illis, qui tonico-nutrientia non bene ferunt, praeceteris Elixirium acidum Halleri, a Wichmann in spermatorrhoea diurna laudatum. Recentioribus temporibus acidum phosphoricum magnam sibi famam acquisivit, quod in aggregationis statu suo vitroso sub pillularum forma modo sequenti praescriptum

Rp. Acid. phosphor. vitr.
Pulv. cort. chin. opt.
Extr. cort. cascarillae
āā drachmas duas
Limaturae mart.
drachmam unam et semis
Camphorae rasae
drachm. dimidiam

M. f. m. p. e qua formentur pill. pond. grani unius Consperge pulv. cort. cinam.

S. Täglich drei Mal zehn Stück zu nehmen.

a Richter commendatur, ast notandum ne affectio quaedam pulmonum adsit, secus contraindicatur.

Praeterea Naphtha vitrioli cum pulvere radicis Cinamomi ad guttas decem mane et vesperi.

Neque saccharum Saturni caute adhibitum medicorum deest expectationi.

Acidis junguntur oportune roborantia amara et amaro-adstringentia, a quibns aromatica evitando ad cinchonam ipsumque Martem transgredimur, cujus usum tam internum quam externum facimus.

Varia adhuc ad sanandam spermatorrhoeam remedia adhibuerunt medici, queis adnumerari merentur:

Pulveres ab Hoffmann

Rp. Ossis Saepiae
Cornu Cervi
aa unciam dimidiam
Carb. lixivae
Succini
aa drachm. duas.
Cort. cascarillae
drachmam.
M. f. pulv. aeqnabilis.
S. Einen Kaffeelöffel voll Abends mit Zuckerwasser zu nehmen.

Saint-Marie inveteratas pollutiones aqua calcis lacti admixta, sanasse refert.

In nimia laxitate et atonia organorum genitalium Richter pulverem foliorum uvae ursi, a scrupulo ad drachmam usque laudat.

Virtus radicis Parairae bravae et radicis Ginsengae, magni praetii et non officinalium, quas nonnulli laudant, nondum sat nota.

Localia remedia, praeprimis adcommodata, sunt: frequentiores lotiones penis et scroti cum aquae menthae piperitae vinosae, Spiritus formicarum, Spiritus Serpilli aa drachmis duabus, Balsami Peruviani drachma; frictiones ex Camphora, Sulph. aetherico et Tinct. Cantharidum. — Nec desunt, qui in cruris interna faciei parte fonticulorum formationem, aut inductionem setacei suadent.

Spermatorrhoeae tandem mala posthuma in languore virium vitalium universali et nutritione prostrata atque exinde retardata aut retenta restauratione fundata, pro diversitate morbi, diversam quoque exigunt medelam. In genere regimen absque stimulo nutriens, restaurans nec non robo-

rans illis opponendum; pro vario debilitatis gradu, nunc leniora nunc efficaciora, juscula limacum, serpentem, amylum, lac asininum, lichen islandicum, caragahen, cinchonam, ferrum in auxilium vocantur medicamina.

Theses defendendae.

1.

Natura sanat, medicus curat, ideo multi sanantur, male curati.

2.

Status virium ex oculo certius quam ex pulsu noscitur.

3.

Venus enervat vires sic copia Bachi
— — — — debilitatque pedes.

Virgil.

4.

Notio syphilidis lalentis est delenda.

5.

Remedia absulute diuretica non dantur.

6.

In curandis feminarum morbis prudentia scientiam praecedit.

7.

Sectio vesicae urinariae lateralis minus portendit periculum, quam illa supra symphysim ossium pubis.

8.

Destruit coquus, quod reparat medicus.

9.

Aër atmosphaerisus sistit aggregationem mechanicam.

10.

Sola praxis nosocomialis medicum tironem excolere valet.

11.

Medicus non solum minister sed et magister sit naturae.

12.

Entia vegetativa ab animalibus haud discrepant.